



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1700

Decas VIII. Ab anno 770. ad annum 780.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64756)

Hispanienses Arabibus matrimonio copularentur.

Copronymi Præfectus Ephesus omnes Monachos & Virgines in campum eduxit, iussitq; ut illico inter se matrimonio jungerentur; reuertes autem (quorum maximus fuit numerus) oculis privatos in exilium relegavit.



DECAS VIII.

✽ *Ab anno 770. ad annum 780.* ✽

771. Copronymi Præfectus in Thracia
 ✽ **C**omnia monasteria diripit & vastat, venerandas reliquias vel igni tradit, vel abscondit; & monachos ac moniales exiliis & suppliciis afficit. Cui præ cæteris contumeliis & exagitationibus illud præcipuè voluptatis & oblectationis fuit, iis Monachis, qui barbam prolixiorem nutriebant, picem, oleum, ceramque affundere, & igne admoto dolorisissimo incendio sanctos Confessores cruciare.

Carolus Magnus hoc anno repudiat Bertham conjugem suam, Desiderii Regis Longobardorum filiam, ad divortium consentientibus & suadentibus Franciæ Episcopis: hinc non sine temeritate aliquid impi-

um & iniquum hie de Christianissimo Rege & sanctissimis Episcopis (quorum concilio hoc divortium factum est) opinari licebit. Desiderius autem ob remissam suam Bertham furere incepit contra Carolum, furori faces subjicientibus Hunaldo Aquitano & alterâ Berthâ, Carolomanni hoc eodem anno defuncti uxore, ac filiâ ejusdem Desiderii; ab his tantum odium adversus Carolum concitatum est, ut non aliter, quam Regni Longobardici ruinâ restingui potuerit.

Mortuus est etiam hoc anno Carolomannus frater Caroli, cujus regnum svadentibus Francis occupavit Carolus, uxore Viduâ Carolomanni, unâ cum liberis ab eo susceptis, ad Desiderium patrem in Italiam remeante. Visum enim erat securius Regnum fore in manu Caroli, quam fæminæ Longobardicæ & puerorum. Carolus autem repudiatâ Berthâ, junxit se Hildegardi filix Hildebrandi Ducis Savorum, cujus pietas & virtus coronari merebatur.

✠(772.)✠ Post mortem Stephani IV. hoc anno defuncti, summâ omnium concordia Pontifex creatus est Hadrianus civis Romanus, & omnibus virtutibus præstantissimus, quem statim Desiderius con-
sue-

svetis fraudibus & armis aggressus est, ut Pontifex missâ legatione ad Carolum Magnum ab eo auxilium postulare coactus fuerit, expectans in filio Pipini patris pietatem cum fortitudine conjunctam.

Habdallus Rex Hierosolymorum Sarcenus Christianos omnes, & Judæos in manibus notari & inscribi iussit, ut a suis Arabibus distinguerentur. Quam ignominiam plerique non sustinuerunt, sed relictis suis possessionibus in Romanorum ditiorum confugerunt.

✽(773.)✽ Carolus Magnus cum exercitu adversus Desiderium progressus est, quem cum suis Longobardis ex montis Cenis faucibus expulsum, Papiæ obsedit: multas quoque Longobardorum urbes cepit, & inter cæteras Veronam, ubi nepotes suos cum Bertha inventos remisit in Franciam, ne quid turbarent.

✽(774.)✽ Carolus Magnus relicto exercitu ad Papiæ obsidionem, Romam venit Pascha celebraturus, ubi receptus est, ut primogenitus Ecclesiæ, Magistratu urbis cum signis militaribus triginta millia obviam procedente: Reliquis omnis Ordinis, conditionis & sexûs ad unum miliare cum ramis olivarum occurrentibus. Quamprimùm in conspectû Caroli Magni

Cru-

Cruces quæ præferebantur, subière, illicò equo desiliens, pedes ad Basilicam Petri secutus est, & perveniens ad atrium ubi eum Pontifex cum reliquo Clero præstolabatur, omnes gradus singulatim deosculatus, ac demùm à Pontifice benignè exceptus, post mutuos amplexus, tenuit in ingressu in Ecclesiam dexteram manum Pontificis cunctis acclamantibus *Benedictus qui venit in nomine Domini*: & hoc accidit in die Sabbathi Sancti. Post dies aliquot ad Papiæ obsidionem reversus, Urbe multis malis jam conflictatâ, cum Rege Desiderio & toto regno Longobardiæ potitus est: & ut præfidiis suis Franco è milite impositis securiùs retineret, Desiderium cum uxore in Franciam pertraxit. Desiderii filius Adalgisus fugâ elapsus ad Copronymum venit, à quo Patriciatûs titulo auctus est.

Quod scribunt nonnulli Carolum iterum post deditam Papiam Romam rediisse, & in Synodo 153 Episcoporum accepisse jus eligendi Pontificem & investituræ Episcoporum, id viri Schismatici commentum est, in gratiam Henrici Imperatoris Schismatici annis post Carolum trecentis triginta octo, modò adornatum: tam malè à Calvinistis pro-

propugnatum, ut ejus Sectæ eruditos viros pudeat ineptissimæ defensionis.

✽(775.)✽ Constantinus Copronymus plagâ divinitus percussus in crure. quæ a Græcis ἀρθραξ appellatur, vivus exustus igne invisibili, ac de blasphemis vocibus, in Sanctos ac Beatissimam Virginem jactis, pœnitens (sed ut quondam Antiochus) impiam dæmoni animam evomit, verbis Christianus, operibus Judæus, Manichæus, Nestorianus, dignissimus suis cognominibus Copronymi & Caballini, quorum illud accepit à stercore. quo Baptisterii fœdavit, & hoc à fimo caballino, quo se inficiebat cum aulicis, hoc odore mirificè delectatus, non autem à Cabalâ urbe ut quidam putârunt. Sepultus est in Basilica SS. Petri & Pauli Constantinopoli, sed postea refossus, in fóro publicè crematus est, quod supplicium vivus propter atrociam crimina promeruerat.

Successit Copronymo Leo IV. ejusdem filius, qui initio sui Imperii thesauros à Patre relictos inter pauperes distribuit & pietatem in B. Virginem, & amorem in Monachos simulavit, quibus etiam Episcopatus obtulit.

Reliquit Copronymus filiam Anthusam Virginem pientissimam & Patri ac fratri, dissi-

diffimillimam, quæ bona omnia sua profudit in pauperes & religiosum induta habitum, in Meneo Græcorum locum meruit.

Eodem anno extinctus est Habdalla Princeps Saracenorum qui filio suo Madi Regnum & impietatem pro hæreditate reliquit.

Floret Occidentalis Ecclesia, ubi Carolus Ethnicos Saxones vicit, & Ossa Rex Merciorum Regnum suum Ecclesiæ vestigale reddidit, renovato in singulas domos S. Petri denario.

In Hispania quoque respiravit Ecclesia defuncto scelerato Aurelio, in cuius locum Silo sororis ejus filius succedens regnum à pietate auspiciatus est.

✽(776.)✽ Leo Augustus favente populo & Optimatibus. Constantinum filium suum adhuc puerulum creavit Imperatorem, quem Nicetas Patriarcha coronavit, & Senatus populusque super lignum S. Crucis juramento se obstrinxerunt.

Carolus Magnus Rotgaudum Ducem Foroiuliensem Regnum Longobardiæ sibi vendicare volentem magnâ celeritate cum exercitu aggreditur, & debellatum occidit. Similiter rebellantes Saxones in Sifburgi castrî oppugnatione cœlesti visione per-

perterritos, subigit, quorum ingens numerus Baptismum suscepit.

✽(777.)✽ Telericus Bulgarorum Rex Constantinopoli Christianam fidem profectetur, & a Leone Patricii titulo honoratur, ejusq; consobrinam matrimonio sibi conjungit.

✽(778.)✽ Carolus Magnus adversus Saracenos in Hispaniam evocatus, exercitum & arma hoc anno movit, & felicibus auspiciis Navarram & Cæsar-Augustam subegit, sine autem hujus expeditionis satis infauso, magnam partem exercitus amisit: quando Vascones in saltibus Pyrenæis prædis onustos Francos valde inhumaniter exceperunt, & extremas turmas prædis excussis interfecerunt, quos inter etiam Eggobartus regiæ mensæ præpositus & Rutlandus (alii Rolandum appellant) Brittannici littoris præfectus, desiderati sunt.

Interea fœdifragi Saxones instinctu Widdichindi rebellârunt, quos Carolus mediâ hyeme adortus, partim in fugam conjecit, & magnam partem peremit, cæteris sequente æstate saniora consilia amplexis, & fidelitatem iteratò jurantibus. Inter hæc Hildegardis Caroli Magni conjunx peperit gemellos, quorum alter brevi extinctus, alter

alter Ludovicus in Baptismo nominatus est.

✽(779.)✽ Carolus hoc anno iterum expeditionem bellicam in Saxoniam & Westphaliam suscipit, & Westphalis Saxonibusque celerem fugam arripientibus, incruento bello victoriam consecutus, & compositis firmatisque pacis legibus in Franciam revertitur.

✽(780.)✽ Madi Princeps Saracenorum crudeliter in Christianos persecutionem excitavit, iussitque eos omnes, qui ex Judæis & Gentilibus ad Christianos accessissent, fidem abjurare, aut exquisitissimis cruciatibus à medio tolli, quod decretum multos Martyres. cœlo inferuit. Templaque quoque per totam Syriam solo æquavit sed his ruinis fidem non oppressit.

Leo Imperator cum in pulvinari sive lathario Irenes uxoris suæ duas imagines reperisset eam à se repudiavit. Protospatharium etiam & præcipuos quosdam aulicos imaginum cultores ignominiosè expulit, aut pœnis subiecit. His furis doloso furo bellè abblanditus est Paulus Cyprius genere, qui Nicetæ hæretico Patriarchæ Constantinop. successerat, & animo quidem Orthodoxus, sed foris simulatus & versipellis hæreticus erat, Imperatoriæ

M

gra-

gratiæ vanus nundinator. Sed diu non distulit Deus vindices pœnas, qui hoc anno divinitus percussum Leonem sustulit. Cùm enim insaniens circa lapides pretiosos, coronam magnæ Ecclesiæ pretiosis gemmis distinctam suo capiti imposuisset, exierunt Carbunculi in capite ejus & febre ardenti expiravit. Statim ergo Irene cum filio Constantino decem annorum puero regendum suscepit Imperium, mulier à Deo fortis, quæ Nicephorum Imperium affectantem in exilium retrusit, & Leonis fratres ad Sacerdotia compulit, Arabes tumultuantes repressit & Imperium ita composuit, ut non mulier, sed fortis quidam Imperator regnare videretur.

Asserunt tum Græci tum Latini historici in longis Thraciæ muris inventam esse arcam lapideam, in eaque virum jacentem, & arcæ litteras conglutinatas in hæc verba, *Christus nascetur ex Virgine. Credo in eum. Sub Constantino & Irene Imperatoribus, O. Sed iterum me videbis.* Creditum est ab omnibus, id Prophetæ alicujus fuisse sepulchrum, divinitus ita revelatum.

Carolus Magnus post Krodum famosissimum Saxonæ idolum exterminatum, & posita fundamenta Ecclesiæ Christianæ, ac

Epi-

Episcopis destinatis, cum Hildegarde uxore sua Romam proficiscitur, & Ticini Natalem Domini religiosissimè celebrat.



DECAS IX.

✽ Ab anno Christi 780. ad annum 790. ✽

781. **C**arolus Magnus cum uxore & liberis Romæ celebrat Pascha, & filios suos ab Hadriano Papa inungi curat, Pipinum quidem majorem natu Longobardorum, Ludovicum autem Aquitanix Regem. Irene quoque Imperatrix Constantinopoli Legatos mittit ad Carolum per quos filio suo Constantino Sponsam petiit filiam Caroli primogenitam Rortrudim, in quem finem aliquot Græci in Gallia relictæ, qui puellam docerent linguam & mores Græcorum.

Irene Madi Saracenorum Principi per filium suum Aaronem Imperium aggresso promittit annuū tributum, & plurima munera offert pro pace redimenda, Helpidius autem tyrannus sumptis secum thesauris suis fugiens in Africam, ibi ut Imperator ab Afris colitur.

✽ (782.) ✽ Confectum est hoc anno bellum contra Slavos qui Peleponesum &

M 2 Græ-